Et sunt ille due diametri in superficie orbis ecentrici et in superficie orbis signorum quoniam centrum
orbis revolutionis est in loco duorum nodorum. Motus autem equalis extremitatum harum
diametrorum super circumferencias horum circulorum propriorum motibus stellarum non sunt in circuitu
centrorum eorum sed in circuitu centrorum quorum elongatio a centris eorum est sicut elongatio centrorum
orbium ecentricorum a centro orbis signorum. Et significo per assimulacionem ut sit proporcio
eius quod est inter duo centra ad medietatem diametri circuli parvi sicut proporcio eius
quod est inter centra duo orbis ecentrici ad medietatem diametri sue, et ut sit locus augis
eius a parte septentrionali eius cum loco augis ecentrici a parte septentrionali. Per hoc enim
comparatur ut sint extremitates harum diametrorum in centris horum circulorum sequentes centrum orbis revolutionis in equalitate orbis signorum. Et postquam declaratum est ei modus secundum
quem currit res in his declinacionibus et motibus earum, incepit post illud in declaracione
quantitatum cuiusque earum secundum quantitatem arcuum circulorum magnorum transeuntium per orbem signorum et per duos polos orbium ecentricorum. Dixit ergo quod cum consideravit in augmentis
duarum stellarum veneris et mercurii ex orbibus revolutionum earum ambarum in longitudine longiore
et propiore ecentrici et ipse ambe erant prope unque longitudinem longiorem et propiorem orbis revolutionis. Invenit ergo longitudinem utriusque ab orbe signorum veneris quidem ad septentrionem semper
quantum sexte partis et mercurii quidem ad meridiem semper quantum medietatem et tertiam partis. Et
hoc est ultima declinacionis orbium ecentricorum duorum utriusque. Et sicut consideravit
ambas cum ipse erant in ultimo longitudinis sue a sole quesitorie. Invenit ergo aggregacionem
duarum longitudinum earum que sunt contrarie ab orbe signorum quantum v partium. Stelle quidem
veneris minus in longiore longitudine ecentrici cum partibus et plus est in longitudine propiore
eius per id de quo narratur. Mercurii quidem invenit ipse addere super v partes
in longitudine propiore et minuere ab eis in longitudine longiore quantum medietatem partis
unius donec reflectio duorum orbium revolutionis in loco duorum laterum superficiei orbis ecentrici subtendatur apud centrum orbis signorum super quod est visus angulo cuius
summa est secundum mediacionem fere duarum partium et medietas. Et consideravit eas ambas cum centra orbis revolutionis erant in duobus nodis ecentrici. Invenit ergo stellam veneris
cum est in longitudine longiore orbis revolutionis elongari ab orbe signorum ad septentrionem et ad meridiem quantum parte una. Et cum est in longitudine propiore in pluribus sex partibus
et tertia partis donec fit quod declinacio orbis revolutionis eius per illud tenet de circulo
qui signatur eque super polos eius et super longitudinem eius longiorem et propiorem
duas partes et medietatem partis secundum approximationem quoniam ille partes quando separantur
apud longitudinem longiorem et propiorem orbis revolutionis veneris subtenduntur
apud visum in longitudinibus in medias fere istis partibus predictis. Quod est quia due partes et
medietas quando separantur ab eo quod sequitur longitudinem longiorem orbis revolutionis
subtenduntur angulo cuius summa est pars una et duo minuta. Et quando separantur
apud longitudinem propiorem subtenduntur angulo cuius summa est sicut vi partes et